

concilio Moguntino, & Aquisgranensi præscriptum erat. Scholas præterea collectâ juventute florentissimas habuit; quæ prima illi cura quoque fuit, ut in ijs, tanquam in seminario Cleri, formaret Sacerdotes Pastoresque, quos rudi genti imponeret Magistros ac Doctores populorum; tum ut Christianæ legis præcepta moresq; unâ cum literis infunderet in teneros popularium animos. Inde Paderbornenses scholæ non solum ab Imado XII Episcopo, quod Panegyricus Paderbornensis, Theodoro Episcopo dictus, commendat; sed ab Hathumaro & Badurado primis Episcopis nostris statim per westphaliam celebres florentesque fuerunt. Tanquam ad amœnos Paderæ fontes ipsa Christi religio Musarum camœnas collocare voluerit. Invitabatque locus, quod per id tempus nullus aut oppidi surgentis aspectu, aut ædium populiq; frequentia, aut incolarum urbanitate per Saxoniam magis excultus conspiceretur. Quemadmodum hæc inter ceteros Saxo Poëta (quem Paderbornensem fuisse censent Presbyterum) in rebus gestis Caroli M. commendat, vetus sub Arnulpho Imperatore scriptor. Et Baduradus Episcopus postquam domi omnia rite composuerat, nihil pro munere suo sollicitius habuit, quàm Diœcesin in comitatu clericorum obire: docere pro concione populum, eumque in parœcias dividere: templa ædesque sacras, ad quas cœtus rusticanæ plebis convenirent, exstruere; eaque, quæ Hathumarus præclarè cœperat, explere. Inter quæ nihil illi impensius fuit, quàm Carolinam Paderbornæ Basilicam, ab Hathumaro ad fastigium deductam, absolvere, quam sub initio Episcopatus, opere jam perfecto, XIV Kalendas Decemb. solemniter etiam ritu dedicavit. Quanquam quo anno hæc celebritas peracta sit, nec Auctor vitæ D. Meinwerci, qui id retulit, nec fasti nostri meminerint. Nunc per consequentes annos eundo, quantum fas erit, res ab eo gestas, & in Episcopatu ejus memorabiles referamus; Saxonica interim, ac publica modicè ad rerum seriem, ordinemque temporum inspergendo.

Obit & ordinat Diœcesin.

Cathedralem Ecclesiam absolvit ac dedicat.

## Annus Christi 816.

Stephani V. Pont. I.

Ludovici Imp. 3.

Baduradi Ep. Pad. 2.

Annus Christi jam processerat DCCCXVI. ex quo Ludovicus pius imperij tertium, Baduradus secundum auspiciatus est. Felix Baduradus, quod pijsimum Imperatorem nactus, cui unicum studium fuit, religionem Christianam per Saxoniam provincias, patris exemplo, stabilire, fovendo Episcoporum labores, ditando Ecclesias, introducendo Monachos, condendo Monasteria, disciplinam cleri populique formando; ut vel inde cognomento Pius sit appellatus. Nec minus felix Imperator, quod Saxoniam in Christi religione quiescentem,

*Ann. Francor.*

*Auctor vitæ Ludov.*

Ludovici Pij studium promovendæ

Christianæ religionis.